

LVNÆ DIE 19 M. FEBRVARII A. 2007

A.d. XI Kal. Martias a. MMVII

I 3 6

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE REDITV AD MEDIVM ÆVVM

Cum nascitur pater meus, anno scilicet 1890, « magica electricitas » domos privatas intrare incipit, in regionibus quidem quæ dicuntur « industrializata ». Mira tunc novitas est lampas electrica, quæ multo commodior est ad lucem profundendam, quam flamma lampadis petroleo alitæ. ¶ Undevicesimo sæculo in usum inducitur vaporis vis motoria. Viæ ferreæ tunc muniuntur, in quibus tramina moventur machinis vaporariis. Alimentum machinarum vaporariarum est carbo fossilis. ¶ Lignum tradito more adhibebatur non solum ad domos et naves exstruendas, sed etiam ad carbonem fabricandum, quo ferrum e lapidibus extraheretur ; septingenta carbonis chiliogramma necessaria erant ad mille chiliogramma ferri facienda. ¶ Lignum est materia etsi renovabilis, tamen exhaustibilis ; nam septimo decimo sæculo, propter usus incrementum, silvæ in Europa ita minores fiebant, ut lignum in dies esset rarius eiusque pretium magis magisque augetur. Carbo fossilis infeliciter ad plerosque usus ineptus erat propter fumum nimis sulfurosum. ¶ Tunc in Magna Britannia Henricus Platt suasit ut carbo fossilis eodem modo tractaretur ac lignum ad carbonem faciendum, i.e. ut in furno oxygenio carente ad temperaturam mille graduum duceretur ; hoc enim modo nocens fumus et aqua expelluntur ; residuus « carbo coctus » (Angl. *coke*) ad multos usus aptus est, sed non ante initium undevicesimi sæculi adhibitus est ad ferrum faciendum. Sine ferro sic parvo pretio producto, revolutio industrialis undevicesimi sæculi fieri non potuisset. ¶ Oleum ex petra sive petroleum, ut hodie dicimus, iam ab Antiquis notum erat, sed vix ullum usum habebat præter rimas in navium carinis explendas ; etiam pars erat mixturæ, qua Byzantini utebantur ad ignem bellicum faciendum. ¶ In America septentrionali, in Pensilvania, erant fontes petrolei, cuius Indiani iam magni faciebant virtutes medicinales. Primus usus apud colonos Europæos etiam fuit medicinalis. Medio undevicesimo sæculo spissum petroleum nativum decoqui cœptum est, unde nascebatur liquor fluidus, incolor et inodorus, quo lampades ali poterant minimo pretio ; hoc est initium industriæ petroleariæ, quæ vicesimo sæculo indesinenter crevit, cum novum genus motorum aleret, combustionem internam insignium. ¶ Sunt etiam loca in orbe terrarum, ubi gasum accensibile e solo erumpit ; hoc Antiqui iam animadverterant. Nostris temporibus, cum solum forando petroleum reperiunt, sæpe etiam erumpit gasum, quod molestum imprimis habebatur et in ipso situ comburebatur. Hoc gasum, quod constat e compluribus hydrocarbonibus, ut methano, ethano, propano, butano et pentano, bonas tamen habet qualitates ; aere levius, incolor,

inodorum, vix sulfuratum, comburitur atmosphæram parum polluens. Quare dolendum erat quod hic optimus energiæ fons sine usu dissipabatur, sed non ante annum circiter 1970 adhiberi potuit, quia in promptu nondum erant satis fida instrumenta, quibus gasum contineretur et duceretur. ¶ Ineunte sæculo vicesimo primo energia in orbe terrarum consumpta his modis producitur : 40 % petroleo, 25 % carbone fossili, 25 % gaso nativo, 7,5 % fissione nucleari, 2,5 % cataractis. Hi sunt fontes energiæ, sine qua corrui cultus civilis noster. ¶ Fere dimidia pars huius energiæ consumitur a Fœderatis Civitatibus Americæ Septentrionalis et ab Europa, id quod mirum non est, cum ibi sint auctores revolutionis industrialis et inventores omnium energiæ fontium. Incolæ harum regionum tantum sunt decima circiter pars incolarum totius orbis terrarum. ¶ Cum pater meus puer esset, ineunte vicesimo sæculo, electricitas solum adhibebatur ad lucem faciendam, vix erant autocineta et nullum aeroplanum ; solæ ferriviæ erant fructus progressus technici. ¶ In priore dimidia parte vicesimi sæculi, duo bella mundana effecerunt ut progressus technici multo celeriores fierent. In posteriore dimidia parte vicesimi sæculi pax, qua fructus est orbis occidentalis, effecit ut in his regionibus floreret prosperitas, qualis antea numquam fuit ; in dies nova instrumenta apparebant, ad vitam commodiorem reddendam ; tot sunt autocineta, ut commeatus sæpe impediatur ; aeroplanis licet celeria et commoda itinera facere usque ad antipodes ; cottidie comeduntur cibi ex longinquissimis regionibus importati. Floret « societas consumptionis », ut aiunt. ¶ Prosperitas gignit euphoriam, quare ineunte vicesimo primo sæculo populares nostri sibi fingere non possunt prosperitatem non fore æternam. Monita tamen non desunt. Iam ab anno 1972 multinationalis grex doctorum, « Cœtus Romanus » (v. *Club de Rome*) vocatus, monet continuum bonorum incrementum habere limitem. ¶ In libro c.t. *De fine petrolei*, quem nuper in lucem edidit J.H. Kunstler Americanus, terribilia futura nuntiantur. Quanta copia petrolei et gasi nativi supersit e solo extrahenda, nemo certo scit, sed periti nuntiant hanc copiam exhaustum iri intra vicesimum primum sæculum. Carbonis autem fossilis copia maior est et diutius suppeditabit. ¶ Plerique populares nostri nesciunt, quantum vita cotidiana ab hydrocarbonibus fossilibus pendeat. Eis non solum aluntur motra vehiculorum terrestrium, maritimorum aeriorumque, sed etiam ingens industria petrochemica, qua fabricantur inter alia omnes res plasticæ, fumi fertilizantes et methano facti et substantiæ pesticidæ. Alimentis fossilibus nihil adhuc serio subiici potest. Sunt, qui proponant alimenta ex vegetalibus

facta, ut ethanol, sed, ut fabricentur, maiore energia fossili egent, quam quod ipsa producere valent. ¶ Quid ergo nuntiat Kunstler eventurum cum re vera erit penuria alimentorum fossilium? Cibaria sine auxilio energiæ fossilis certe produci possunt, ut olim fiebat; hoc tamen maiore labore eget et minorem copiam reddit. Cum commeatus multo difficilior factus sit, invertitur motus incolarum, qui ab initio ævi industrialis rure migrare cœperunt in urbes; postea iuvat rus redire; urbes enim coartantur. Electricitate orbari non potest cultus civilis occidentalis, ne ad Medium Ævum redeat; eam producere debent electrificiæ atomiciæ, quamquam radioactivæ quisquiliæ molestæ sunt.

¶ Egestati alimentorum fossilium accedunt detrimenta e calefactione planetæ nostri orta. ¶ Plerique assentiuntur Terram calefieri propter incrementum gasi dioxydi carboni (CO<sub>2</sub>) in atmosphæra. Etiam si copia huius gasi iam non augeatur, tamen temperatura per triginta annos crescit et libra oceanorum se levare perget per centum annos. ¶ Singulis nostrum tribuitur « vestigium œcologicum », ut aiunt. Quo significatur nos naturæ tantum detrimentum imponere, quantum gasi dioxydi producimus. In America et in Europa hoc vestigium maius est quam id quod Terra sustinere potest. Quare « Mundanæ Naturæ Feræ Fundus » (*World Wildlife Fund*) nonnulla consilia dat ad vestigium nostrum minuendum: recentes cibos præferre cibus congelatis, vegetalia comedere potius quam carnem vel piscem, autocineti privato non uti, etiam communibus vehendi modis quam minime uti, ferias degere domi, parcere papyro, in habitatione quam minima vivere, aere temperato non uti, parcere electricitati, gaso nati-

vo et petroleo. ¶ Cum hoc lego, comperio huiusmodi consilia ducere ad vitæ condiciones, quales erant cum pater meus puer esset. ¶ Idem Mundanæ Naturæ Feræ Fundus dolet quod tertia pars generum animalium vertebratorum intra triginta novissimos annos extincta est. Causam tamen addit hanc: in regionibus, ubi adhuc viget cultus non industrialis, quas Tertium Mundum vocamus, agri substituuntur silvis, propter continuum populi incrementum. ¶ Cum ipse scholæ discipulus essem, tria milia incolarum erant in orbe terrarum; duplex nunc factus est numerus. Nemo, ut videtur, dicere audeat hoc effrenatum incrementum causam principalem esse Terræ deteriorationis; præterea sciamus oportet hoc incrementum in Tertio Mundo solum factum esse propter progressus industriæ occidentalis. Ex eis enim orti sunt fumi fertilizantes et substantiæ pesticidæ, quæ tantum auxerunt agrorum redditus, ut ibi ratio nascentium longe nunc superet rationem morientium. Hæ gentes nihil fecerunt ut unam ad alteram rationem æquiperarent. Non est ergo causa cur Occidentales et alios populos, qui cultum technicum sibi assumpserunt, pudeat melioribus vitæ condicionibus frui, quam qui tradito more inculti vivere pergunt. ¶ Cogitandum tamen est sine hydrocarbonibus fossilibus, non solum magnam partem incolarum Tertii Mundi fame perituram esse, sed etiam exultiores nationes ad statum mediævalem redituras esse, nisi ingeniosi homines novos, abundantes et parvi pretii energiæ fontes sine nimia mora inveniant. ❧

Gaius LICOPPE

## MALO ACCEPTO STULTVS SAPIT

adagium 31

## DE ITINERE MEO ALEXANDRINO (II)

– scripsit Ladislaus Dolidon –

Mirum prorsus in modum me accepit Cappadocia : Mubi primo die oculi mei quadam herba ægre læsi sunt, ita ut semicæcus oculorum medicum trans lacrimas invenire debuerim et illi malum meum explanare, dum herbam quam attuleram ostendo. Et, ut puto, lacrimæ meæ et rea ipsa melius quam centum mea verba Turcica rem reserabant. Ceterum terræ illi suscensere irascive propter nimiam eius pulchritudinem nequeo.

Nec facilius fuit ex Cappadocia digressus quam fuerat adventus : nam dum eam relinquo, rotulæ dentatæ posteriores, quæ catenam sustinent birotæque velocitatem moderantur, non suo loco erant ; cum vero illam difficultatem probarem, simulque currere pergerem, effeci ut rotulæ illæ rotam celeriter circumactam offenderent, atque ut horrendum tætrum immanem strepitum audirem : novem enim rotæ radios una perfregeram. Quæ calamitas technica fuit, nec una advenit : nam eodem tempore cummes pluries perforatæ sunt (quod toto itinere sexagesies vel septuagesies usu venit), nec ad rotæ partes, circum axem, disiungendas valebam – tantum hærebant – ut radios novos, quos in pera mea ex Gallia attuleram, tenderem... Media nocte tamen feliciter opus complevi.



Nunc Taurum iam facillime transiimus, nec sudare, optime lector, debuisti, quippe qui ex Anatolia venimus, quæ planities est alta, quasi mille metra super maris libramentum, iugum autem transeundum mille sescenta tantum metra eminent.

Quas trans Taurum invenimus terras primi sæculi christianitatem redolent : Cilicia et Tarsus ; Antiochenes memorandi piscatores, quibus more tralaticio laborantibus in ora occurreram, et humilium mihi hospitium fauste præbuerunt. Neque apud Issum decertandum fuit, nam via illac iam patet... Sic fines an ætates transeam dubito. Stellæ autem ipsæ viatorem monent :

ille enim simul ad Vrsam respiciens manubrium ministrat, quam mirans Vlixis oblivisci non potest, et illius illam *ποντοπορευομένου ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἔχοντος* (fere *Od.* V, 277).

Sub mea etiam sinistra volant Vrsæ, Arcturus, Cassiope, qui me, etsi certis sedibus infixi, ad Syriæ portam Berceamque comitantur, primam mihi urbem Syriacam, in qua arcem lustro ingentem – mirum quantum super planitiem urbanam eminent.

Ex urbe in desertum, per quod rivi ex Euphrate flumine aquam ducunt, qua agri irrigentur ; et summo tunc calore, delectationi summæ cum comitibus in fluctus urinor. Quem Euphratem nonnullos dies, usque ad oppidum *Deir ez Zor*, in illa Syriæ parte situm quæ ad orientem solem vergit, ex longinquo sequar : nam et per Mesopotamiam, trans flumen, paululum iter carpere aveo.

In casas autem, ut illorum locorum, terreas, ex lateribus luteis factas, tanta me Syrorum hospitalitas identidem accepit – etenim etiam mulieres, viris absentibus, peregrino hospitium, hoc est aquæ thesaurum, cibum, umbram, amicitiam obtulerunt ; dum edo, pueri spectandi insoliti hominis avidi erant, et quantum eorum linguæ imperitus eram, nonnulla lexico adiuvante verba faciebam, et summo omnium oblectamento una ludebamus ridebamusque.



Itineri denuo me committo, per terras illas virides lætasque, per quas viator sub arborum variarum tegmine iucunda umbra fruitur – revera, planitiem desolatam mente finge, in qua, nisi prope flumen, nulla crescit stirps, nulla præbetur umbra : nam per horas omnino deest, nisi sub panno quodam cuius in tegmine gratissimo meridiationis hora me volvo... Vbi detrimento, ut fit, accepto, nullus adest artifex qui mihi operam præstet !



Birota vero refecta, per desertum in urbem tendo quæ a flumine aliquot parasangas distat ; quæ ætate Romana ædificata ac quadrato designata est, cuius latus circiter trecentos passus patet. At ex illa urbe, olim maxima florentique, optime munita, ingentibus cisternis binis instructa, nihil superest nisi parietinæ nonnullæ ab hominibus prorsum relictæ, solitudine circumseptæ, necnon cisternarum fossæ vacuæ quæ siccitatem suam immanem deserti vento clamitant – θαύμα ἰδέσθαι...

Arcibus tamen antiquis arcem meam textilem prætuli, qua haud contra imbrem scilicet usus sum, sed contra bestiolas quæ in fluminis vicinitate multæ sæviebant. Et intimo in deserto mihi plerumque stratum lapideum arenosumve deversorio fuit subdiali, apud quod, tabernaculo propter æstus non instructo, in tela birotam tantum involvebam ut eam contra arenam, quæ vento ferebatur, protegerem.

En redeamus præter Euphratem, qui regionem totam irrigat, cuius opera vita exstare potest – nam putei in deserto tam pauci sunt ut plerique illorum



finium incolæ, etsi longis itineribus, aquatum flumen petere assoleant. Quod si agri non diligenter irrigantur, statim deserto redduntur. Quam aquam per totum iter meum bibi, et ita assuevi ut eam recta ex flumine sorbere possem, sicut caballus – o imprudentiam iuvenalem, o voluptatem bestialem summam –, nec nisi post multos dies, propter pomum tabefactum, ægrotavi – et tum, Æsculapio absente, ægerrime.

Illam Syriæ partem quæ in orientem spectat cum attigissem, flumen iam reliqui et terras aridissimas vento adverso, qui semper a mari flat, transiturus eram. Nec quid ante Palmyram, quæ urbs ducenta chiliometra distat, inventurus essem plane sciebam : nam alii esse oppida nonnulla mihi dixerant, alii vero nihil ante urbem illam – neque ullam aquam. Ducenta autem chiliometra, contra ventum istum continentem tenacemque, duorum dierum essent iter, in quod quindecim fere lymphæ litris opus esset...



At tabernacula, etiam oppidula secundum viam inveni, neque accolarum quisquam, qui deos hospitaes religiose colant, mihi aquam dare tam necessariam recusavit. Palmyræ autem mortuorum valle sub vesperum transita, pastoribus sclopetis automatis ad gregem tuendum armatis occurri, quibuscum, in plaustris tecto iacens, noctem optimam sub sescentis stellis egi. Vbi inluxit, defessus tamen maxime, post nonnullos dies in deserto immundus, sitiens, iam paulum ægrotans, Krach illud equitum (prope Libanum) insignis difficultatis acclivitate adii expugnâque, et ea ingentia castra totum diem sequentem lustravi, antequam Damascum irem, ubi me deversorium – mollitiam nimiam, delicias extra modum – in noctem unam accepit.

Tunc vero celeriter erat mihi iter perficiendum : quare nonnullos dies maximis per Iordaniam Ægyptumque itineribus cucurri, calcaribus canterio subditis – at idem equus fuit et eques –, caloribus ingentibus, vento sæpe adverso, morbo repugnante, ut metam meam Alexandrinam tangere denique possem. Sic statim post Philadelphiam (vulgo *Amman*) via latis-

sima quæ desertum transit partes meridianas petivi, attamen nullo nimio periculo, nam in illis viis non tam multa sunt vehicula ; præterea omnia plaustra tarde progrediuntur, et in curriculi oram, quotiescumque expediebat, confugere poteram. Quin etiam rædarii non solum vitæ meæ plerumque parcere solebant, verum etiam ad merendam sæpius me invitavere.

Quibus alimentis corroboratus Ælanam (vulgo *Aqaba*) advenio ac maris Rubri in litus ; et illic in undam urinatus piscesque miros, permultis coloribus illustratos, eo magis admiratus quod colores in solitudine candida atrave mihi diu defuerant, in navem qua fines Israel declinare possim confestim salio, et post breve tempus in Ægyptum appellimus desertumque Sinaiticum ; per quod quadraginta fere horas, neque annos, vagatus sum : hæc enim Hebræis, alteram in regionem, rectissima fuisset via.



stolabantur paulisperque mansi (edi, dormii, requievi, nec iam locum sub divo ubi dormirem quotidie inveniendum) ; unde birota et nave et tramine et birota domum meam feliciter reversus sum.

Iter autem meum, huiusque latinitatis ambages cum viæ ambagibus, non plus quam me te, lector, defatigasse spero ; cui pro benevolentia gratias ago. ❧

*Scripsit imaginesque pressit  
Ladislaus (vulgo Vladislav) Dolidon  
qui omnia sibi vindicat.*



Ecce fretum a *Suez* nuncupatum transeo – iam ad finem pervenimus –, pyramides metior, Alexandriam advenio, quæ peregrinatorem cum titulo Arabice Græceque scripto exspectat. Et illic mare nostrum quoque me exspectabat, comes itineris mei fidissimus, cuius ad alteram ripam perventurus eram – metam nunc consecutus !

Celerrima fuit illa ultima cursus hebdomas, celerrima narratio. Peregrinabundo autem satis defesso ægroque quietem quandam concedamus, qui tandem Imperium, quod avebat, emensus est. Posse circum mare semitam suo quamque compellare nomine : nonne hæc est mira ea cum orbis parte quam incolo familiaritas ? – et fortasse una ex causis tot casuum volendorum, tot laborum adeundorum – de viri vero pietate nihil dicam...

Inde aerinave Græciam petii, ubi amici mihi præ-

# QVO MODO P. VINCENTIVS SCHEIL O.P. ANTIQVISSIMAS BABYLONIORVM LEGES CECINERIT

– enarrat *Volfgangus Jenniges* –

AMICIS BAGHDADENSIBVS - VIVIS ET MORTVIVS  
« *Qui tribulant me inimici mei,  
ipsi infirmati sunt et ceciderunt* » (Ps. 26 [27])

Mesopotamia ubi latuerit quidve sibi velit non est nostratium vel incuriosissimus qui ignoret, neque ullus est quin compertum habeat, cum atrox quod illic et perpetuum geritur bellum impia fraude indictum scelesto dolo patratum nefaria incuria protractum cruentis omnium ob oculos imaginibus versetur. Nullus autem dubitationi relinquitur locus, neque ulli homini docto latuit umquam, postquam Orientis arcana inde a sæculo XIX litteratis Europæ hominibus innotuerunt, quid veteri aviæ nostræ Mesopotamiæ et multiplex qui nunc est Oriens, et noster debeat cultus civilis, quæve et quanta ad nostram humanitatem et mentem et spiritum, ad scripturam et scientias et artes et litteras antiqua inter flumina contulerit terra Babylonis.<sup>1</sup>

Mirari profecto liceat cur antiquæ Mesopotamiæ cultus atque humanitas, cum totius Orientis aliquando exstiterit magistra, quæ splendidis monumentis et documentis ornata per totum qui tum erat, a Perside ad Ioniam (Græci cultus in Oriente incunabula) et Ægyptum et Arabiam versus innotuerit totumque informaverit orbem, primo iam mille annorum spatio quod Christum natum proxime antecedit spissis adeo sit obruta tenebris summæque oblivioni tradita, ut numquam exstitisse videatur. Cuius rei causam cum Græcos fuisse tum Iudæos consentaneum videtur : illo-



*Babylonis porta Veneris (bāb Ištar), per quam intravit Herodotus (imago anno 2001 facta).*

rum enim, quo nitimur, rerum gestarum studium sero est exortum sero floruit seroque Alexandro iubente angustos propriæ gentis propriique ingenii fines et voluit et valuit superare : tum videlicet, cum orientales qui fuerant, post Ninyam anno 612 a.Chr.n. captam Assyriosque profligatos, silebant fontes neque iam intellegebantur ;<sup>2</sup> hos autem, quamvis ex eadem stirpe orti sint, nobisque suam, cum venerat plenitudo temporis, religionem tradiderint sublimiori Græca veste ornatam, summi Dei studio ethnicos suos familiares vicinosque magnopere sprevisse gravissimoque taciturnitatis iudicio adeo constat oppressisse, ut sacri eorum vates inimicæ suæ Babylonis « nomen et reliquias et germen et progeniem »<sup>3</sup> perditum atque in perpetuam oblivionem delatum iri iure prædixerint.

Paulo ante annum ter millesimum a.Chr.n. in ea Mesopotamiæ parte quæ ad meridiem spectat, præcipue in vetere oppido *Uruk* (nunc : *Warka*),<sup>4</sup> prima apparent in toto orbe terrarum humani cultus civilis vestigia : tum prima extruebantur templa quæ et rebus divinis et domesticis familiaribusque negotiis in civitate administrandis erant destinata, vasa prodibant fictilia variis figuris illita, sigilla pulchris imaginibus ornata in argilla imprimebantur, veterrima scripturæ documenta in modum picturæ primum fictæ,<sup>5</sup> dein in cunei formam simplicius redactæ<sup>6</sup> ordine et ratione redigi cœpta sunt. Quæ humanitatis cunabula Sumeris<sup>7</sup> adiudicantur qui Mesopotamiæ partes quæ ad meridiem vergunt inde saltem a quarto mille annorum spatio ante Christum natum incolebant. Variis autem Mesopotamiæ oppidulis civitatibusque, quæ singula tabulario scriptorum fictilium insigniuntur,<sup>8</sup> vel sui iuris manentibus vel fœdere inter se coniunctis, historiæque vicissitudinibus decursu temporum vel in maiora paulatim regna coalitis, vel in varias partes seiunctis, novus in Mesopotamia exstitit impetus : diversas dico Semitarum occidentalium incursions. Novum profecto impetum, quod, felici colluvione cultuum civilium et hominum et ingeniorum eademque (ut docet historia) numquam non utili paulatim effecta, resectis videlicet eis, quæ emoriebantur, partibus, novoque sanguine novisque formis reviviscentibus, quæ vita adhuc præditæ secus languore perissent, mirum quantum utilis est et salutaris exorta coniunctio atque, conflictione necessaria superata atque temperata, firmus est post annum a.Chr.n. millesimum fere et nongentesimum



convictus et cultus exortus, quem *antiquiorem Babyloniorum ætatem* homines docti nuncupant.

Tum Chammurabius Rex prodiit sextus ex regia serie, Amurritica stirpe oriunda :<sup>9</sup> sunt autem Amurritæ ex gentibus Semiticis una quæ anno circiter ante Christum natum bis millesimo in Mesopotamiam influxerat et rerum ab ultimis Sumeris iamiam relictarum erat potita. Qui rex tres regnavit et quadraginta annos ;<sup>10</sup> eiusque regnum secundum mediam, quam vocant, temporum et dierum rationem, annis est a.Chr.n. 1792-1750 communiter adsignandum.<sup>11</sup> Diuturno suo regno efficere valuit, ut omnem Mesopotamiam dicioni suæ sive armis subigeret sive fœderibus, opes regias et potestatem magnopere auferret, optimaque ratione agri culturam fossarumque structuram, quæstus et artificia, mercatus, publicum ærarium, ministeria et servitia, exercitum sub regia cura administraret et regeret, alienas quoque in propinquo terras sive amicitia sive obœdientia vinculo sibi iungeret pacatas,<sup>12</sup> Babylonis nomen, et oppidi et terræ, in multa sæcula firmaret, legibus suis non immerito « rex iustitiæ et æquitatis » (*šar kittim u mišarim*) innotesceret, futurisque Mesopotamiæ regentibus evaderet exemplum.

Columnnam vero, vel, ut Græce dici solitum est, stelam, ex dioritico, quem vocant, lapide exsculptam atque nitide politam, in qua sub finem regni<sup>13</sup> inscriptæ sunt Chammurabii leges, veri haud est dissimile (certus autem ignoratur eius locus) vel in ipso esse collocatam oppido principe, vel in sacro Babyloniam oppido, cui nomen *Sipparum* (nunc : *Abu Habba*), quodque sexaginta fere milia passuum (60 km) ab ipsa Babylone ad septentriones versus situm, deoque Solis, nomine *Šamaš*, deo videlicet iustitiæ quem fugit nihil, erat dicatum. Legibus conscribendis et in unum redigendis neque ante, Sumeriorum scilicet ætate, defuerant reges, neque hæc quæ nobis prodiit prima est neque unica huius generis stela (prodierunt enim et tabellarum varia iuris fragmenta) ; manet tamen eximium regii iustitiæ et æquitatis studii documentum.<sup>14</sup> Quæ leges non in infinitum neque absolute tractant ius, neque eius definitionem neque momenta in universum proponunt,<sup>15</sup> sed secundum casus maxime varios maximeque definitos nullo certo qui nobis pateat ordine cum pœnas statuunt idoneas, easdemque non raro severiores,<sup>16</sup> tum etiam singulis propria concedunt atque confirmant civibus iura, non quidem eadem singulis, sed secundum civium ordines diversa.<sup>17</sup> Tractantur autem ducentis et octoginta duobus articulis varia iuris argumenta : falsum testimonium, furtum et damnum, labores in agris eorumque remuneratio,



*Pater Vincentius Sceil (a dextris) cum Iacobo de Morgan, ante prima inventa Susiana (anni 1898) in museo Luparensi (Fons : L'illustration n° 3075, p. 69, 1.2.1902).*

domorum locatio, matrimonii, adoptionis, hereditatis rationes, ratio ac disciplina oeconomica, vis et cædes... ; pœnæ autem, ut inter nomades est mos, statuuntur secundum talionis rationem, qua sons idem quod fecit damnum oportet ipse patiatur.

Medio verum sæculo a.Chr.n. XII, sex interiectis sæculis, Chammurabii monumentum ex Babyloniorum oculis perpetuo evanuit. Iacuerat iam Babylon, ab Hethæis capta, iacuerat et regia stirps Amurritarum qua primum post Sumerios ad novum erat rerum fastigium Babylon perducta, nondum Assyriorum splendor effulserant et arma, nondum recentiorum Babyloniorum lautitiæ splendebant ædes et delubra ; Cassitarum qui dicuntur<sup>18</sup> quietæ adhuc dicioni subiciebatur Babylonia, suoque adhuc loco in sacra quadam tranquille stabat æde præstans stela legifera, cum pax Elamitarum perturbaretur incursu, quorum a Babylone ad orientem versus fines in illa Persidis parte vergunt quæ ad meridiem spectat et occasum solis. Quorum rex Šutruk-Nachunte Babyloniæ vastat et cum aliis ex Babylonia spoliis mirificam legum stelam reportat in Susianam : Susis enim, in Elamitarum oppido principe, in summa est arce denuo nostra stela præter omnium expectationem tristis tamquam exsul inventa, temporum iniquitate tribus quidem partibus fracta : primum et secundum extremo anno 1901, mense autem Ianuario insequentis anni 1902 tertium offendebatur et in aprium denuo proferebatur a Gallis columnæ fragmen-

tum. Etenim sæculo XIX exeunte Persarum rex Mozaffar-ad-Dīn Šāh (r. 1896-1907) totius imperii sui rerum antiquarum effodiendarum licentiam Gallis præbuerat et veniam. Sisis autem antiquo Elamitarum oppido auspiciis et sumptibus rei publicæ Gallorum peragrandō pervestigando percontando annis 1897-1912 præfuit Iacobus de Morgan (1857-1924), nobilis vir et doctus, qui fuit machinator metallarius et geologiæ peritus, quemque e Gallia cum alii nonnulli sequebantur viri rerum antiquarum periti, tum imprimis eximius est philologus, cuneatarum tabellarum peritissimus in Susianam comitatus P. Vincentius Scheil. Ipsa stela in unum redintegrata mense Aprili anni 1902 est Lutetiam rite liciteque translata, mulis primum usque ad sinum Persicum, navi deinde in Europam, ubi in hunc diem feliciter invisit licet in museo Luparensi.<sup>19</sup> Patet septem fere pedes in altitudinem (2,25 m), insignitur in fronte pulchre exsculpta imagine, in qua rex videtur Chammurabius deum Solis deprecans atque regni accipiens insignia (cf. imaginem tegumenti).

Ab Oriente (cuius historiam quatenus ad rem spectet breviter adumbrare inutile non duximus) ad Musas iamiam transire liceat Latinas, quæ huic symbolæ ansam præbuerunt et argumentum. Nam mirum in modum in se coniunxit Orientis disciplinam Romanorumque sermonis peritiam vir doctus quem sumus laudaturi.

Ioannes (Vincentius) Scheil die 10 m. Iunii anni 1858 in Lotharingiæ vico *Königsmachern* natus, absolutis in Hispania et Austria sacræ theologiæ atque philosophiæ studiis, auctus sacerdotio a. 1882 sese adscripsit ordini Prædicatorum, Lutetiæ deinde in antiquas Ægypti et Mesopotamiæ linguas reliquias res gestas maximo studio incubuit eruendas atque investigandas. A musei Constantinopolitani rectore Osman Hamdi-Bey (1842-1910), viro docto atque litterato, anno 1892 rogatus, ut Ægypti et Mesopotamiæ antiquitates in regio museo Ottomanico (*Müze-i Hümayün*) adservatas pro sua prudentia recenseret atque describeret, postquam anno 1890 susceptam Thebarum in Ægypto effodiendarum reliquit operam, per annos præcipue 1892-1893 Constantinopoli et postea ad annum passim 1898 illi descriptioni studium navavit. Interea rogatu Ottomanorum ipsam quoque petiverat Mesopotamiam (a. 1894) ut *Sipparum* investigaret quod supra memoratum est nobile atque sacrum Babyloniorum oppidum:<sup>20</sup> Scheilio felici contigit opportunitate ut magnam illic reperiret tabellarum cuneatarum bibliothecam quæ ad quandam scribarum scholam pertinuerat. Etiam fratrem suum invisit Sebastianum (1853-1931) qui in Mesopotamiæ urbe *Mosul* quæ ad septentriones spectat apud

Arabes sacerdotii fungebatur ministerio. Inde autem ab anno 1899, ut supra vidimus, philologus est tabellis fictilibus interpretandis atque enarrandis in Susianam Gallorum antiquariorum expeditionem comitatus. Illic, cum alia scripta cuneata maxime varia, tum vero quæ per tot milia annorum latuerat stelam Chammurabiam primus descripsit, enarravit, eximiaque est scientia interpretatus. Neque tantum descripsit, enarravit, vertit, sed Latino quoque carmine antiquas Babyloniorum leges illustrare non est dedignatus. Etenim otiosas suas horas atque subsicivas carminibus Latine pangendis terebat libentissime, quorum collectanea sunt anno 1934 ultimum publici iuris facta. Anno dein 1903 a Leone XIII P.M. virorum doctorum consilii studiis Sacræ Scripturæ provehendis ut partem caperet est invitatus. Quod consilium ea præsertim ratione Pontifex instituerat « ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumbia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate [...] (et) in universum christianæ reipublicæ corpus sana et incorrupta hujus quoque tam necessariæ doctrinæ præceptio influat ».<sup>21</sup> Quod profecto quin animum ei commoveret efficere non potuit augusti Pontificis propositum, cum neque nisi fida pietate artis suæ studia agitasset neque umquam pius sine scientia fuisset P. Vincentius Scheil. Varios per annos (ab anno 1895) felicique cum studiosorum concursu in celeberrima Pariensi Schola altiorum quæ ad usum ducunt artium (*École pratique des hautes études*) præceptoris est munere functus, anno denique 1908 Instituti Galliæ (*Institut de France*), in quo variæ sedent Academiæ, est socius electus.<sup>22</sup> Obiit Pater Vincentius Scheil Lutetiæ Parisiorum, die 21 m. Sept. a. 1940. ❀

P. Ioannis Vincentii Scheil O.P. de codice  
Chammurabio carmen<sup>23</sup>

*Le code de Hammurabi (1902).*  
*Prologue.*<sup>24</sup>

Ex Susiano pulvere proditas,  
Leges libellus continet hic sacras  
Quas undecim sæclis, Lycurge,  
Te prior, Hammurabi coëgit.

Terris remotis imperium suum  
Quum protulisset, par sibi visus est  
Pacis labori dictus, idem  
Legibus ædificans et armis.

Assumpsit hæres jus veterum pius,  
Sed consulens ævo et propriis gregi,  
Disjecta complevit statuta.  
Inque perutile Corpus auxit.

Huic supparem nec posteriùs Babel  
Cognovit, Assur nec tulit æmulum, –  
Cujus iubentis vel vetantis  
Floruit auspiciis Mat Accad.<sup>25</sup>

Oblivionem post babylonicas  
Clades perennem ne timeat pati !  
Expertus eclipses iniquas,  
Longiùs haud cohibetur umbrâ.

Quos nesciebas finibus emicas  
Nunc ultimis. Quis Codicis inscius  
Recens reperti vult haberi ?  
Quo satis et mihi laudis exstat :



Cum vix bilinguis natus eras homo,  
Nunc plurimis es factus idoneus  
Sermonibus, totoque in orbe  
Hammurabi, legeris, probaris !

Hoc nec vagari fortuitis dii  
Sivere tectis juridicum caput,  
Terræ locârunt umbilico  
Altera quo « Babylon » resedit.<sup>26</sup>

FONTES PRÆCIPVI

- Béatrice André-Salvini, *Le code de Hammurabi* (Collection solo), Lutetiæ Parisiorum, 2003.  
Rykle Borger, *Babylonisch-assyrische Lesestücke. 2., neubearbeitete Auflage. Heft I* [inest editio Latinis litteris reddita codicis Chammurabi, p. 2-50] – *Heft II* [inest editio cuneata codicis Chammurabi, p. 286-314] (Analecta Orientalia 54), Romæ, 1979.  
Walter Burkert, *Die Griechen und der Orient. Von Homer bis zu den Magiern*, Monaci, 2004 [qui liber primum Tusce scriptum (*Da Omero ai magi*, a. 1999 Venetiis, apud Marsilium) ab ipso est auctore in Germanorum sermonem versus, exstat quoque versio Gallica].  
Dominique Charpin, *Hammu-rabi de Babylone*, Lutetiæ Parisiorum, 2003.  
Philippe Flandrin, *Le pillage de l'Irak : main basse sur la Mésopotamie*, Lutetiæ Parisiorum, 2004.  
Jean-Jacques Glassner, *Écrire à Sumer. L'invention du cunéiforme*, Lutetiæ Parisiorum, 2000 [cuius doctissimi libri versio quoque exstat Anglica].  
Kenneth A. Kitchen, *On the reliability of the Old Testament*, Grand Rapids, MI & Cantabrigiæ, 2003.  
Horst Klengel, *König Hammurabi und der Alltag Babylons*, Dusseldorpii & Turici, 1999.  
Mario Liverani, *Uruk. La prima città*, Romæ & Barii, 1998.  
Joan Oates, *Babylon*, Londinii, 2005 (ed. tertia).  
Milbry Polk - Angela M.H. Schuster, eds., *The looting of the Iraq Museum, Baghdad. The lost legacy of Ancient Mesopotamia*, Novi Eboraci, 2005.  
Mervyn E.J. Richardson, *Hammurabi's Laws. Text, translation and glossary*, Sheffield, 2000.  
Vincent Scheil, O.P., ed., *Textes élamites-sémitiques. Deuxième série* (Ministère de l'Instruction publique et des Beaux-arts - Délégation en Perse - Mémoires [...] Tome IV), Lutetiæ Parisiorum, 1902 [p. 11-162 princeps præbetur editio codicis Chammurabi].  
Jean-Vincent Scheil, O.P., *Epigrammata et carmina. Nova editio*, Cabilloni, 1934.  
Hartmut Schmökel, ed., *Kulturgeschichte des Alten Orient* [sic], Augustæ Vindelicum (Stutgardiæ), 1995.  
Marc Van De Mieroop, *King Hammurabi of Babylon. A biography*, Oxonii, 2005.  
Varii, *Le code de Hammurabi et les trésors du Louvre* (Dossiers d'Archéologie n° 288), 2003.  
Martin L. West, *The east face of Helicon. West Asiatic elements in Greek poetry and myth*, Oxonii, 1997.  
Hugo Winckler, *Die Gesetze Hammurabis in Umschrift und Übersetzung*, Lipsiæ, 1904.

TABVLA  
ex epilogo codicis Chammurabii exempla aliquot :  
(columna XLVIII, XXV a tergo)



59-63

a-na wa-ar-ki-|a-at u<sub>4</sub>-mi | a-na ma-ti-ma |  
šarrum ša i-na mātīm | ib-ba-aš-šu-ú  
*pro futu|ro temporis | in sempiternum : |*  
*princeps qui in terra | est*

64-67

a-wa-a-at | mi-ša-ri-im | ša i-na narī-ya | aš-  
tū-ru li-šur  
*verba | iustitiæ | quæ in lapide meo | scripsi*  
*honoret ;*

68-72

di-in ma-tim | ša a-di-nu | pu-ru-sé-e mātīm  
| ša ap-ru-su | a ú-na-ak-ki-ir  
*legem terræ | quam dedi | decreta terræ |*  
*quæ decrevi | ne mutaverit ;*

73-74

ú-šú-ra-ti-ya | a ú-ša-sí-ik  
*monumentum meum | ne sustulerit.*

75-77

šum-ma a-wi-lum šu-ú | ta-ši-im-tam i-šu ma  
| ma(t)-sú šu-te-šu-ra-am i-le-i  
*Si vir ille | sapientiam habet et | terram suam*  
*rectificare valet*

78-79

a-na a-wa-a-tim | ša i-na narī-ya aš-tū-ru li-  
qúl ma  
*in verba | quæ in lapide meo scripsi animum*  
*advertet et*

80-83

ki-ib-sa-am ri-dam | di-in mātīm ša a-di-nu |  
pu-ru-sé-e mātīm | ša ap-ru-su  
*habitum usum | legem terræ quæ dedi |*  
*decreta terræ | quæ decrevi*

84-85

narûm šu-ú | li-kál-lim-šu ma  
*lapis bic | monstret ei et (inde)*

86-88

ša-al-ma-at qá-qá-di-šu | li-iš-te-še-er | di-in-ši-na li-di-in  
*subditos<sup>27</sup> suos | ordinet ; | legem eis det ;*

89-92

pu-ru-sâ-ši-na | li-ip-ru-ús | i-na ma-ti-šu ra-ga-am | ù še-nam li(n)-sú-úh  
*decreta eis | decernat ; | in terra sua malum | et sceleratum (virum) exstirpet ;*

93-94

ši-ir ni-ši-šu | li-ti-ib  
*lætitiâ populî sui | foveat.*

95-98

Ĥa-am-mu-ra-pí | šâr mi-ša-ri-im | ša Šamaš ki-na-tim | iš-ru-ku-šum a-na-ku  
*Chammurabius | rex iustitiæ | quem deus Samas æquitate | donavit ego (sum)*

99-102

a-wa-tu-ú-a na-ás-qá | ep-še-tu-ú-a | ša-ni-nam | ú-ul i-ša-a  
*verba mea electa (sunt) | opera mea | æmulum | non habent*

1. Cuius rei exempla non est hic locus, et longum est, enarrandi singula. Quod tamen argumentum fusius alia occasione tractare iuvabit. Quæ cui si movent studium, ad ea interea se referat, quæ (alios ut mittamus) in Hartmodi Schmökel libro laudato (cf. sub finem librorum indicem) fusius in universum tractantur (p. 300-310). Quid autem Græcorum litterarum et scientiarum primordia antiquo Orienti debuerint docte referunt Martinus West et Valtherus Burkert (præcipue de Homero Hesiodoque, deque primis philosophis Ionicis).

2. Exemplo sit, ut Tullianis utamur verbis, « pater Historiæ » Herodotus (c. 490-420), qui, quamquam ipse ex Asia oriundus viator erat intrepidus et indefessus atque Græcorum rerum scriptorum inter præstantiores, quippe qui nullis præiudicatis constrictus opinionibus mente libera oculisque apertis alienorum hominum, quos ipse inviserat, mentem et mores et instituta laudasset, tamen adeo mendose, alia ut mittamus, princeps Babyloniorum oppidum descripsit (I, 178 sqq.), ut vix sit credendum eum Mesopotamiam reapse vidisse. Invisit tamen neque intellexisse videtur. Herodotum enim neque Aramaicam linguam, qui sermo tum in omnium gentium usum communis atque universalis evaserat, neque Persarum, qui ab anno 539 Babylona tenebant oppidum, neque ipsorum Babyloniorum linguam calluisse, neque proh dolor Babylonios eum convenisse patet viros eruditiores Græceque satis loquentes. – Melioris sunt notæ quæ Strabo Ponticus (fl. Augusti tempore) de rivorum fossarumque ratione in Mesopotamia refert (C740).

3. Isaïæ 14, 22 ; cf. 13, 20-22 : (de Babylonis ruinis futuris) « non habitabitur usque in finem et non fundabitur usque ad generationem et generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestię et replebuntur domus eorum draconibus et habitabunt ibi struthiones et pilosi saltabunt ibi et respondebunt ibi ululæ in ædibus eius et sirenes in delubris voluptatis. » Sæculo adhuc XIX, testibus ex Occidente viatoribus, plane desertus erat et a nomadibus vel maxime historiæ ignaris religiose vitatus veteris Babylonis situs, qui *Al-Hillab* nunc vocatur. Verba autem Isaïæ (fl. sæculo VIII ex.) ad proximam Babylonis vastationem sunt referenda, quam anno erat 689 Assyriorum rex Sennacherib (*Sîn-abhê-erība*) patraturus (in cuius dictione et Medi tum erant) ; Cyrus enim Persarum rex anno 539 Babylona non denuo vastavit, immo auxit et suam fecit regiam sedem. – Nunc vero, bello ex anno 2003 sæviente stabili que fuerat in Mesopotamia ordine diruto, antiquus oppidi situs, qui post Germanorum et Itolorum effossiones a publicis rerum antiquarum Mesopotamiæ curatoribus tam sedulo custodiebatur, partim est deletus et vastatus (præcipue in theatri Græci regione, quod anno 1988 in usum erat modo restitutum, ubi et Hephæstionis aliquando rogos erat exstructus, quique vicus ab incolis a colore rubro *Humaira* nunc dicitur) : adhibita est enim ab hostili milite huius situs terra, antiquorum, ut cuivis homini litterato patet, vestigiorum et reliquiarum haud expers, ad aggeres apparandos atque saccis hoc

pretioso sabulo repletis muniendos, dum in antiqui soli locum immanis est et altissima alieni sabuli importata atque imposita copia, antiqua videlicet oppidi strata inquinans, perturbans atque comprimens, qua tutum helicopteris accipiendis et ponderosæ militari suppellectili paretur fundamentum.

4. *Uruk* oppidum est ubi rex Gilgames regnavit mœniaque exstruxit (quæ adhuc exstant). Huic oppido eruendo et secundum artis præcepta pervestigando Germanorum Institutum, quod archæologicum vocant, annis 1902, 1912, 1928-1941, 1954-1989 et ultimum 2001(-2002), annuentibus et iuvantibus Mesopotamiæ moderatoribus, operam dedit eximiam.

5. Quo scilicet modo mens et sensus non syllabis, ut postea cuneatis illis signis fieri solebat, neque simplicibus litteris ad singulos tantum (vel fere) sonos adhibitis, ut nobis est mos, sed imagine quadam definita exprimuntur : quare quæ reapse fuerit lingua incertum est, neque unam necessario cum imaginibus cohærere linguam constat. Cum autem hæ primæ picturæ Urukenses mox (inde ab annis fere 3200/3000 a.Chr.n.) in cunei formam redactæ – dum et pingentibus vel potius exarantibus simpliciores et legentibus interpretantibusque fiunt difficiliores – linguam prodant quæ Sumerica innotuit, etiam ad priores picturas eandem esse linguam adhibitam non absonum videtur neque nimis improbabilis est coniectura.

6. « Cuneatas » has esse litteras Latine nuncupandas inde præsertim patet, quod qui primus neque improbando sermone de hoc argumento Latine scripserit hoc potius est usus vocabulo, Georgium dico Fridericum Grotefend. Qui vir doctissimus die 4 m. Septembris anni 1802 Gottingæ in Societate Scientiarum scriptum proposuit, quod Latine erat inscriptum sic : *Prævia de cuneatis quas vocant inscriptionibus persepolitianis legendis et explicandis relatio*. Qua relatione fundamentum est studiis cuneatis honorifice atque Latinissime positum.

7. Viris doctis diu erat persuasum illos Sumerios in extrema Mesopotamia, nullo cum Semitis illius regionis vinculo coniunctos, necessario advenas fuisse, qui ex longinquis terris et alienis (ex Indis ?) per sinum, quem Persicum nunc dicimus, aut trans montes ex ipsa Perside, aliquando in illam regionem migraverunt. Neque desunt qui opinentur illos Sumerios, veluti Vascones in Hispania et Gallia meridiana, non nisi vestigia esse et reliquias et superstites gentium quarundam multo antiquiorum quæ ante Semitarum adventum in illis regionibus vivebant. Sed hæc sunt in coniectura posita.

8. Quibus tabulariis ubique in Orientis oppidulis repertis – sunt enim complura milia – non raro evenit, ut eorum civilis cultus et societas et œconomica ratio ac disciplina melius et accuratius innotescerent, quam multarum regionum historia multo recentior, etiam in Europa.

9. Eius sunt in oppido Babylone eiusdem regiæ stirpis decesores hi : rex Sumu-abum (1894-1881), rex Sumu-la-El (1880-1845), rex Sabium (1844-1831), rex Apil-Sin (1830-1813), rex Sin-Muballit (1812-1793). Quem alii sequuntur reges quinque, usque

ad annum a.Chr.n. 1595 quo Hethæi Babylona capiunt (ultimus rex Samsu-ditana, r. 1625-1595).

10. Singuli autem regnorum anni nominibus nobis vel appellationibus per comparationem certo constant, quibus, ut erat in more positum, regum ex quodam notiore eventu, qui anno proxime superiore acciderat, insigniebantur anni. Quorum indices tabellis fictilibus sunt servati.

11. Quæ « media » ratio in præsentī communior videtur inter rerum scriptores ; præterea « longior » diutius exstabat temporum ratio quæ antiquiores postulat dies, et « brevior », vel etiam « brevissima », quæ recentioribus in primis placet non paucis hominibus doctis, qua singulos rerum gestarum dies ad recentiorē prorogantur ætatem. « Brevior » igitur quæ dicitur ratio a nonnullis adhibita, ut exemplo absolvamus, eo tendit, ut sexaginta quattuor annorum spatio prorogentur et differantur omnes dies ; breviorē proinde ista ratione Chammurabii regnum annis a.Chr.n. 1728-1686 adscribitur, Babylon autem ab Hethæis capta anno a.Chr.n. 1531. Quæ computationis variationes ex astronomicis Babyloniōrum indicis eorumque interpretatione pendent et adhuc sub iudice lis est. Per comparationem autem inter se certo constant dies.

12. Eodem fere tempore, initio regni regis Chammurabii, annis (circiter, nam eius anni incerti sunt) 1813-1781, in æmula Assyria regnavit rex Šamši-Adad potentissimus (eius nominis primus), ex eadem Amurritarum stirpe ortus, cuius res gestæ præcipue ex tabulariis innotuerunt, quæ sunt in oppidis *Mari* (hodie : *Tell Harīrī*) et *Šubat-Enlil* (hodie : *Tell Leilan*), in Syria quæ nunc est, feliciter reperta atque in hunc diem (illud a Gallis ab anno 1933, hoc ab Americanis Yalensibus ex anno 1978), annuentibus et iuvantibus Syriæ moderatoribus, effossa atque in lucem prolata.

13. Non enim videntur postea plane ad definitum effectum deducta quæ sunt in hoc codice statuta atque firmata.

14. « Fortis debilem ne opprimat ; pupilli (et) viduæ ut iustitia fiat », ut in epilogo declaratur (*dannum enšam ana lā ḥabālim, ekūtim almattim šutēšurim*, col. XLVII, 59-62).

15. Prologum si excipis (in quo res a rege gestæ enumerantur) et præsertim epilogum, sublimiore genere dicendi grandiloquoque conscriptum, ex quo sub finem huius symbolæ exempli gratia paucas præbemus sententias.

16. Quibus in adiunctis novam, contra mitiorem et urbaniorē Sumeriorum iuris prudentiam, nomadicam vel patriarchalem, quam vocant, Semitarum severitatem partim quidem prævaluisse consentaneum est. Sententiæ autem sæpe incipiunt a verbis *šumma awilum* « si vir... » (sc. hoc vel illud facit), postea sequitur apodosis in qua statuitur poena.

17. Sunt enim, præter servos (*wardum*), cives optimates, qui vocabulo *awilum* (quod « virum (liberum) » significat), et plebei, qui vocabulo *muškēnum* (quod a verbo « prosternendi » vel « salutandi » ducitur) designantur. Quod vocabulum miro perquam est itinere per linguam Arabicam a variis linguis usurpatum atque

ad Gallicam usque et Italicam et Hispanicam linguam quoque pervenit (mesquin, meschino, mezquino).

18. Cassitarum gens ignotæ stirpis est et originis ; Babyloniā autem per quingentos fere qui secuturi erant rexit annos, Babyloniōrumque cultum civilem et litteras et linguam plane in suum adsumpsit usum atque usurpavit.

19. Exhibetur inde ab anno 1993 in aula III (aile Richelieu).

20. Notandum videtur duo fuisse oppida nomine *Šipparum*, unum, quod hic agimus, antiquius, deoque Solis *Šamaš* sacrum ; alterum, quod septem fere milia passuum distat, nomine *Šippar Amnānum*, nunc *Tell ed-Dēr* ab incolis dictum, in quod felicioribus annis 1970-1990 studiosus grex Lovaniensis et Gandavensis incubuit atque insudavit effodiendum atque describendum.

21. Leonis XIII P.M. *Litteræ apostolicæ quibus Consilium instituitur studiis Sacræ Scripturæ provehendis*, quæ a verbis incipiunt *Vigilantiæ studii que memores*, d. 30 m. Oct. a. 1902 in Urbe datæ (*Acta Sanctæ Sedis* 35 [1902-1903], p. 234-238).

22. Cathedram autem antiquæ Mesopotamiæ pervestigandæ dicitam quin in celeberrimo Collegio Galliæ (*Collège de France*) a. 1903 fidus obtineret Prædicatorum socius mirum quod obtusa vetuerunt voluntate qui sibi tum viderentur summæ libertatis liberaliorisque intellectus in Gallorum re publica præcones. Quam cathedram Scheilii loco eius obtinuit discipulus, nullo videlicet monachorum cucullo gravatus.

23. *Epigrammata et carmina. Nova editio*, Cabilloni, 1934, p. 86-88. Gratias ago viro doctissimo atque inter optimos amico Bradlio Valtono (Dr. Brad Walton) Torontino, qui hunc e sua nobis bibliotheca ut est liberalis librum suppeditavit.

24. Sic Gallice inscribitur. Cur autem « prologus » hoc nuncupetur carmen non satis liquet. Forsitan Scheilio erat in animo alterum vel maius componere carmen, quod quidem in libello desideratur ; utrum alias exstet nescio. Strophæ systema, quod vocant, Alcaicum, quod gravioribus sane convenit carminibus, haud inepte neque illepide sequitur (versum forsitan si excipimus decimum).

25. Additur in ipsa editione Gallico sermone adnotatio hæc : *Nom du pays où régnait Hammurabi. Māt Akkad* ad litteram « terram Akkad », i.e. Mesopotamiæ, significat ; cuius a metri causa corripitur.

26. Lutetiæ Parisiorum videlicet.

27. Ad litteram : « capita fusca sua » hoc est : Mesopotamiæ meridianæ incolæ (quæ est ex Sumerio sermone elocutio ducta).

## IN TARTARIAM (v)

– scripsit *Francisca Deraedt* –

**E**rgo Guillelmus de Rubruc eiusque socii, magnum Tartariæ Chanum Mangu nomine adituri, iter iterum sumunt. Hungariam transeuntes improvise incidunt in aliquem autochthonem, qui eos Latine salutatur; hic resalutatus interrogatusque explicat se in terra sua baptizatum esse ab aliis fratribus minoribus.

Die 14 m. Septembris a. 1253 monachi quendam hominem conveniunt, mercatorem divitem, cui mandatum est ut eos ad magnum Chanum duceret. Ille vir eos monet iter esse quattuor mensium, frigusque hoc anni tempore esse tam magnum, ut lapides et arbores findantur; tale iter sibi non videri extraneis sustentabile. At monachus, fide, ut solet, firmiter nixus: « Spero », inquit, « in virtute Dei quod sustinebimus quod alii homines possunt sustinere. » Cui alter respondet: « Si non poteritis sustinere, ego relinquam vos in via. »<sup>1</sup> Hiemalia accipiunt vestimenta, et ecce versus orientem equitare incipiunt. In itinere difficile est equos mutare, cum pauca sint oppida; et semper pessimos accipiunt, « quia extranei eramus ». Guillelmo tamen fortior equus semper datur, quam eius comitibus, « quia eram ponderosus valde; sed utrum suaviter ambularet vel non, de hoc non audebam facere quæstionem, nec etiam audebam conqueri si dure portaret, sed fortunam suam oportebat unumquemque sustinere. » Equi parum apti fatigantur ante stationem, flagellandi sunt, aut onere levandi, ita ut non raro duo homines in uno equo procedant.

« De fame et siti, frigore et fatigatione non est numerus. » Dura est diæta: mane aliquid accipiunt bibendum, postea nihil per totum diem, carnes demum vespere, et quidem non raro crudas, cum, silvis deficientibus, lignum ad coquendum vix inveniatur, nec semper occasionem habeant boum equorumque sterco-  
ra, ignis optimam materiam, colligendi. Tali ratione molestius fit ieiunium franciscanis Veneris die impositum; quam regulam Guillelmus interdum quidem eo constantius respicere potest, quod nihil ei præbetur, cælo tamen vesperascente « cum tristitia et dolore » in carnes oblatas irruit.

Dux autem eorum, quem initio tædebat homines tam viles comitari, paulatim discit eos melius cognoscere; affabilior fit atque eos ad divites Tartaros sæpe deducit, ubi iubentur pro familia orare. Ah! Quot opportunas occasiones euangelizandi, propter stolidum internuntium amissas! « Si habuissem bonum interpretem », inquit monachus, « habebam opportunitatem seminandi multa bona. » Illi homines inter colloquia multum interrogant de Papa christianorum, quem audiverunt esse quingentos annos natum.

Sed apparent montes Caucasi, et sub eorum radici-

bus terræ cultæ, quin etiam vineæ. Nescio quo impetu poetico, an fortasse quo vineo afflatu, huiusmodi alliteratio sub narratoris calamum subierit: « Ibi vidi vites et bibi bis de vino. »

Pone hos montes vivit Mangu, nepos Chingis Chan, magnus Chanus, omnium Tartarorum imperator. In illis regionibus varii sunt populi qui suas colunt singularitates, sicut gens Tebec vocata, cuius cives solent parentes defunctos comedere, pietatis causa, quia familiaribus nullum aptius sepulcrum inveniri potest quam propria viscera. Tempore autem, quo Guillelmus per eorum terram transit, hunc morem iam derelinquunt, « quia abominabiles erant omni nationi ». Huic tamen obsoleto mori alium substituerunt non minus iucundum: calvariis mortuorum conficiunt pocula, quibus bibentes lætam habent parentum memoriam. Inter multos alios etiam digni qui memorentur sunt Cathai, id est Sinenses, « parvi homines, loquendo multum aspirantes per nares; et hoc est generale quod omnes orientales habent parvam aperturam oculorum ». Hi « magnæ Cathaiæ » incolæ dicuntur esse in omni arte optime versati imprimisque medicinam callere; quamquam hi medici, qui permulta sciunt de viribus herbarum et de pulsu venarum, « urinalibus non utuntur nec sciunt aliquid de urina » – res monacho nostro prorsus insolita.

Quod ad eorum religionem pertinet, Guillelmus distinguit nestorianos, sarracenos et idololatrias. Omnes videntur satis tranquille convivere. Guillelmus nestorianos imprimis contemnit, qui Christianitati sint dedecori: « Nestoriani nihil sciunt ibi. Dicunt enim servitium suum et habent libros sacros in Siriano, quam linguam ignorant, unde cantant sicut monachi apud nos nescientes grammaticam, et hinc est quod totaliter sunt corrupti. Sunt in primis usurarii, ebriosi, etiam aliqui eorum, qui sunt cum Tartaris, habent plures uxores sicut Tartari. Quando ingrediuntur ecclesiam lavant inferiora membra sicut sarraceni, comedunt carnes feria sexta et tenent comessiones suas illa die more sarracenorum. » Hæc de monachis adnotatio præfiguratur Erasmi in eosdem vituperationes, quales exempli gratia proferuntur in colloquio Abbatis et Eruditæ.

Nihil umquam est facile. Cum viatores iam iam in propinquo sint, autochthones eos ducere volunt itinere devio, quo latior videatur regio maiorque Tartarorum potentia. Insuper Guillelmo refertur principem Batu, a quo venit, magno Chano scripsisse regem Francorum exercitum et adiutorium petere contra sarracenos; qui rumor monachum timore afficit satis intellegibili.

Die 27 mensis Decembris, post iter trium mensium, ad aulam illius Mangu tandem perveniunt. Mangu tum

temporis non ita longe versatur ab urbe sua Caracorum<sup>2</sup> vocata, ad desertum Gobii,<sup>3</sup> ad septentriones versus. Dux viatorum, qui ibi est bene notus, laute recipitur, cum ipsi collocentur in « parvulum tuguriunculum », in quo vix possunt sternere lectulos. Statim incohatur severa inquisitio, quæ in dialogum absurdum mox vertitur, cum Guillelmus quæstionibus propositis sive nequeat sive nolit respondere : cur enim hic adsit, ipse nescit, solum scit se huc missum esse a principe Batu, ad quem antea a principe Sartach missus erat ; num pacem facere velit rex Francorum, stulta quæstio, cum rex Tartaris nullam fecerit iniuriam. Sed hi, responsis non contenti, iterum iterumque rogant cur adsit Guillelmus, nisi pacem petit. Interea nihil cibi eis datur, at dux eorum apud principem inebriatur, dum « de nobis habebatur parva cura ».

Homines eos in viis ambulantes spectant « tamquam monstra, maxime quia », ut decet ordinem fratrum minorum, « eramus nudis pedibus, et quærebant si nos non indigeremus pedibus nostris, quia supponebant quod statim amitteremus eos ». Haud falsa cogitatio, tantis in frigoribus. Postero enim mane « congelatæ sunt summitates articularum pedum meorum, ita quod amplius non potui ire nudis pedibus. Acutissimum est enim in illis regionibus frigus, et ex quo incipit gelare numquam cessat usque ad Madium ».<sup>4</sup>

Die 4 mensis Iuanuarii a. 1254 ad magnum Chanum tandem deducuntur.<sup>5</sup> Post accuratam inspectionem – Tartarorum imperator interfectores multum timet omniumque vestimenta curat perscrutanda, ne quis ad se veniat cultro armatus – intrare licet. Domus intus est tota aurea. Mangu ibi sedet, lautis pellibus indutus. « Est homo simus, mediocris staturæ, circa ætatem quadraginta quinque annorum ; et sedebat uxor iuvenula iuxta eum, et quædam filia sua valde turpis, Cirina nomine, adulta cum aliis parvulis sedebat in lecto post eos. »

Mangu bibere dat : vinum præbet, cervesiam ex oryza factam, cosmos, id est lac equinum, mulsum. Guillelmus cum verecunde recuset, accipit sapidum potum ex oryza, « de quo gustavi propter reverentiam eius paululum ». At non omnes se tam sobrie gerunt : « ad infortunium nostrum, interpres noster stabat iuxta pincernas qui dederunt ei multum bibere, et statim fuit ebrius ».

Magnus Chanus diu tacet, cum suis falconibus ludit, denique præcipit ut loquantur. Flectenda sunt genua. Mangu suum habet interpretem, « et nos habebamus nostrum interpretem talem qualem, qui iam etiam erat ebrius ». Guillelmus explicat se nihil voluisse, nisi principem Sartach adire, quem putabat esse

christianum, sed ab eo missum esse ad Batu, a Batu ad ipsum Mangu. Se monachum pauperem nulla pretiosa dona habere ei offerenda. Se licentiam petere usque ad vernum tempus ibi remanendi, cum infirma comitis valetudo non sinat reditum felicem augurari.

Imperator imperatorie respondet : « Sicut sol est ubique diffundens radios suos, ita mea potentia et ipsius Batu diffundit se ubique. Unde non indigemus auro vel argento vestro. Usque huc intellexi interpretem meum, sed ulterius nullam integram sententiam potui comprehendere, unde percepi bene quod ebrius erat. » Ceterum etiam ipse Mangu iam videtur esse satis temulentus.

Magnus Chanus non iam loquitur, sed iubet eos surgere, denuo sedere, iterum surgere, salutare, exire. Sequuntur nonnulli scribæ, qui permulta interrogant de regno Franciæ eiusque divitiis, quasi illuc « statim deberent ingredi et capere omnia ».

Guillelmus etiam animadvertit satis multos sacerdotes varii generis, nestorianos et idololatrias, tamquam satellites Chanum ambire, qui asseverant eum velle « ut omnes orent pro eo ». Quamquam monachus nos ter sibi persuasum habet eum nulli religioni credere ; sed illi eum sequuntur « sicut muscæ mel », falsa miracula facientes, commoda sua imprimis curantes conviviaque participantes, quæ semper in meram crapulam evadunt. Chanus occasione data non dedignatur doctrinalia certamina inter eos instituere, in quibus sacerdotes de animarum vita post mortem, de numero deorum, de numinis omnipotentia vehementer et stolide disputant, et « postea bibunt omnes copiose ».

Mangu religiosus quidem non est multum, sed superstitiosus valde : omnia enim universa, quæ facit, pendent a tribus ossiculis combustis : si, postquam usta sunt, fissura apparet verticalis, intellegendum est viam esse apertam ; sin transversa aut nulla est fissura, desistendum est a proposito.

Monachus non satis multos oculos habet, neque satis multas aures, ut mirabilia, quæ in illa longinqua terra fiunt aut fieri dicuntur, accipiat. Omnia enim sunt inaudita, sicut hæc de quadam veste mirifice rubra narratio. Cum Guillelmus virum pallio tam pulchre rubro indutum de tincturæ origine interroget, ille fabulam profert de quibusdam homunculis in rupibus habitantibus. Eos esse quidem statura minimos, toto corpore crinibus opertos, tamen omni ex parte formam habere humanam, « excepto quod genua non flectunt sed ambulans nescio qualiter saltando ». Hos homunculos multum esse bibulos immanesque facere computationes, semper idem clamantes, « chinchin », ideoque sic appellari a venatoribus, qui eis post potum



dormientibus venas interscindunt paucasque guttas pretiosi sanguinis colligunt ad purpuram aptissimi. « Narrabant pro vero, quod tamen non credo », ait monachus.

Bigæ magni Chani paulatim moventur Caracorum versus. Mox hanc magnam urbem invisere licet, palatio instructam ecclesiæ simili, in quo Tartarorum imperator bis in anno habitare solet. Guillelmus, qui omnia cum Francia comparat, Caracorum non tanti æstimat quam oppidum sancti Dionysii, « et monasterium sancti Dionysii in decuplo valet plus illo palatio ». <sup>6</sup> Urbs divisa est in duos vicos, quorum unum incolunt sarraceni, et ibi perpetuæ fiunt nundinæ, alterum Cathai, « qui omnes sunt artifices ». Alia palatia habitant scribæ magni Chani. Tota civitas est muro luteo circumdata.

Transeunt menses. Monachi, qui manendi licentiam acceperunt, eam proficiscendi paulatim petere cupiunt, timentes ne reditus proxima hieme sit faciendus. At interea Mangu oblitus est cur apud se maneant, litteras a principe Batu acceptas perdidit totamque quæstionem iterat de viatorum regisque Franciæ rationibus. Paulatim fit quædam desperatio.

Denique mense Iunio magnus Tartarorum Chanus litteras conscribit regi Ludovico IX dandas, in quibus potentiam superbiamque suam aperte prædicat : « Si vultis nobis obædire », scribit, « mittatis nuntios ves-

tros ad nos ». <sup>7</sup> Ergo tandem aliquando instat reditus, quem monachus eadem pæne via facturus est.

Iter in summa longum, arduum, et, si recte perspicere volumus, inutile. Ultima narrationis verba frustrationem vix celant : Guillelmus enim de Rubruc regi suadet ut novos illuc mittat nuntios, ita tamen ut habeant « bonum interpretem, immo plures interpretes et copiosas expensas ». ❧

1. *Sinica Franciscana*, Vol. 1, *Itinera et relationes Fratrum Minorum sæculi XII et XIV*, ed. A. Van den Wyngaert, Firenze, Quaracchi, 1929, p. 218 sqq.

2. Vulgo *Karakoroum*.


3. C. Egger, *Lexicon nominum locorum*, Officina Libraria Vaticana, 1977, p. 131 : « Gobium, ii, n. Mongoli nomine *gobi* universe loca arenosa herbisque et aqua carentia appellant. Est autem Gobium, ut nos ponimus, desertum ingens in ipso Asiæ sinu. »

4. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnoldo Forni Editore, 1981, v, p. 165 : « Madius, Maius mensis. Papias : *Madius mensis, dictus quod terra madaeat.* »

5. *Op. cit.*, p. 248.

6. *Op. cit.*, p. 285.

7. *Op. cit.*, p. 309.



Totum Guillelmi de Rubruc iter (imago sumpta ex hac sede interretiali : [http://www.arikab.net/encyclopedie-francaise/Guillaume\\_de\\_Rubrouck](http://www.arikab.net/encyclopedie-francaise/Guillaume_de_Rubrouck)).

## DE NOVIS LIBRIS

D. SACRÉ, J. TUSIANI, T. DENEIRE (ed.), *Musæ Sæculi XX Latinæ*, Institut historique belge de Rome - Belgisch historisch Instituut te Rome, 2006, 374 p. - ISBN 90-74461-67-0.

Perplacet libri tegumentum, in quo chartula ostenditur a Iano Novák ad Iosephum IJsewijn aliquando missa : « Fuit annus iste concacatus | At ruit hora | Novus instat ad fores paratus | Di meliora ». Hoc libro continentur acta selecta conventus, qui Romæ in Academia Belgica anno 2001 habitus est in memoriam professoris Iosephi IJsewijn. Septemdecim proponuntur orationes commendationesve, sive vernaculo sive Latino sermone exarata, quæ varios aspectus hodiernæ poesis tractant lectoremque multa docent de novis vatibus, de eorum rationibus, arte, humanitate, hereditate, musica, de regulis poeticis necnon de carminum utilitate didascalica. Adiunctus est index nominum selectorum.

J. DOBREF, *Hermannus Samsonius to Axel Oxenstierna. Latin Correspondence from 1621 to 1630 with linguistic and historical commentaries*, Lund, Centre for languages and literature Lund University, 2006, 189+(3) p. - ISBN 91-628-6952-3.

Hoc opere prima pars editur commercii epistularis, quod Hermannus Samsonius, ecclesiarum superintendens in Livonia, et Axelius Oxenstierna, regni Suetiæ cancellarius, inter se habuerunt inter annos 1621-1630. Turbata quidem tempora, quibus rogandum erat ut « benignissimus Deus miserantes suos oculos ad nos reflectat, nosque in beatissimum pacis et quietis portum reducat » (p. 53). Inter has epistulas conspiciuntur hominum dubia : « An vero Polono bene cum Turca conveniat, certa et explorata fide haud tenemus ! » (p. 55), timores : « Literæ lectæ Vulcano consecrentur » (p. 55), contemptus : « Decumanus est asinus, et vix tria scribit verba Latina, quin impingat et hallucinetur » (p. 76), facinora nonnumquam mira : « Unum superest de Holdio, quod coram dicere, ingenuus pudor me deterruit ; epistola vero haud erubescit. Rustici Wolmarienses ante adventum præsentis pastoris montem elegerant, ubi ethnico more suas abominationes exsequabantur. Holdius contraxit aliquot milites Wolmarienses, et in conventum rusticorum (ubi et prægnantes fuerunt feminæ) impetum fecit hostilem, atque omnes dispersit ac fugavit. Hoc non contentus, ligulas resolvit, caligas discinxit, et excrementa alvi (sit venia verbo) super mensam eorum eiecit. Hoc factum emanavit ad Iesuitas, qui illud verbis exaggerabant, et rusticos magis magisque contra ipsum indurabant. Imo cognomento probroso ipsum dehonebant : Altartirsh, hoc est altaris conspurcator. Nimirum talis pastor

suum Patronum et suum Superintendentem iusto afficit honore illisque laudi et ornamento est. » (p. 80-81). Auctor, cuius hæc est dissertatio doctoralis, non solum introductionem biographicam et historicam addidit, sed etiam, singulis epistulis, adnotationes quibus et contextus melius intellegitur et apparet, quantum illo tempore homines litteris antiquis adhuc fuerint imbuti.

M.L. KALLELA, E. PALMÉN, *Clavis Latina III, Pars I Textus et Cultura, Pars II Grammatica et exercitia*, Helsinki, Oy Finn lectura, 2006, 294 p. & 196 p. - ISBN 951-792-254-X / 951-792-255-8.

In Melissæ fasciculis 122 et 129 iam laudata est hæc Finnica ratio docendi, quæ vitam et iucunditatem miscet doctrinæ. Multa Latine explicantur, multa etiam coniunguntur cum rebus discipulis familiaribus, sicut pelliculis cinematicis. Proponuntur lepidæ narrationes omnis ævi ; hoc enim est huic ultimæ parti peculiare, quod præter textus antiquos etiam Latinitas posterior diligenter tractatur, mediævalis, renatarum litterarum, quin etiam recentissima. Chronica mediævalia, Erasmus, Thomas Morus, Carolus von Linné, Kalevala Latina carminaque recentissima discipulis mirabiliter ostendunt quam continua sit nostra hereditas Latina.

E. BORNEMANN, *Lateinisches Unterrichtswerk, Ausgabe A, Teil 3, nova editio retractata ab A. Schönberger et S. Smith, Frankfurt am Main, Valentia / Domus Editoria Europæa, 2006, 218 p. - ISBN 978-3-936132-07-6 / 978-3-927884-73-1.*

Hæc est tertia pars operis, cuius primi tomi in Melissæ fasciculis 121 et 128 annuntiati sunt. Sicut erat in prioribus libris, grammatica, textus legendi, exercitia complura et cultus antiquus docte et accurate, etsi satis severe, traduntur. At severitas aliquatenus etiam est mater studiorum, et studiosa iuventus, quæ linguam Latinam ex operibus Eduardi Bornemann (1894-1976) illo tempore imbibit, bonam firmamque doctrinam inde acquirere potuit, qualis hodie infeliciter fere ubique desideratur. Huius autem novæ editionis beneficio Germanis quidem discipulis iterum frui licet illa institutione solida.

E. BORNEMANN, *Lateinisches Unterrichtswerk, Wortschatzverzeichnis, Ausgabe A, ed. A. Schönberger et S. Smith, Frankfurt am Main, Valentia / Domus Editoria Europæa, 2006, 107 p. - ISBN 978-3-936132-17-5 / 978-3-927884-74-8.*

Prædicto operi additur hoc lexicon, quod ad lectiones 1-100 pertinet. Sub finem operis etiam invenitur conspectus declinationum et coniugationum. ❧



# *In hoc fasciculo !*

*De reditu ad Medium Ævum* [G. Licoppe] p. 1  
*De itinere meo Alexandrino (II)* [L. Dolidon] p. 3  
*Quo modo P. Vincentius Scheil antiquissimas  
Babyloniorum leges cecinerit* [V. Jenniges] p. 6  
*In Tartariam (V)* [F. Deraedt] p. 13  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : Codicis Chammurabii pars superior  
(Lutetiæ Parisiorum, Museum Luparæ).*

---



## SYMPOSIUM ARVERNVM

instituet Melissa d. 23-30 m. Iulii a. 2007,  
auspiciis Academix Latinitati Fovendæ

**P**roxima æstate Melissa symposium Latinum in Francogallia instituet in Arvernorum montibus olim vulcaniis, in vetere oppido Sancti Flori (Saint-Flour). Habebitur in præstanti ædificio iuxta veterem oppidi partem sito, unde patet latus prospectus. In hoc ædificio nuper ad seminaria accipienda aptato participes conclavibus fruuntur privatis commoditatibus præditis.

Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Amplum thema generale erit « de epistulis Latinis », quales, quomodo, de quibus argumentis decursu sæculorum scriptæ sint. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

